



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Decisio CXVII. De Asservatione Sacramenti Eucharistiæ à Sectario
impuganta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

si sine gravi incommodo ferine-
queat, partim quia homines peræ-
grè ferunt, quando refricatur me-
moria peccatorum confessioni jam
subjectorum, & quidem bona fide,
partim quia Confessarius hujusmo-
di de quolibet eorum, quos absolvit,
merito cogitare potest, quòd alteri
Confessario alia peccata vel jam in-
terea confessus, vel postea adhuc
confessurus sit, cum quibus etiam ab
illis peccatis, quæ Confessario dubio

confessus est, simul indirectè absolu-
tus est, vel absolvetur, ut ad eò in
dubio absolutionis validæ non appa-
reat sufficiens causa & necessitas
monendi pœnitentes absolutos cum
horum & suo tam gravi incom-
modo, ut confessiones
repetant.

—*—*—*—



TITULUS XLIV.

De Custodia Eucharistiæ, Chrysmatis,
& aliorum Sacramentorum.

DECISIO CXVII.

De asservatione Sacramenti Eucharistiæ à Sectarario impug-
gnata.

Spr

SPECIES FACTI.

Simson Collonellus Lutheranus hybernabatur in quodam Oppido Catholicæ Religionis, & cum quadam Ecclēsiā pro qualitate loci sat splendidam lustraret. Parochus, vir indigne doctus & affabilis, humanitatis & honoris causā se ipsi sociavit, per Ecclēsiā circumduxit, & non solum altaria, & quæ publicè prostant, sed etiam, quæ erant in Sacristia, uti hierothecam pretiosam, calices, casulas, & alia paramenta, maxime ad Missæ Sacrificium pertinentia, obsequiosè ostendit, addita quandoque ampliori declaratione. Cùm reverterentur ad exterius templum, transire eos contigit ad Pastophorion seu tabernaculum, in quo asservatur Eucharistia, ubi Parochus flexo poplite adoravit

breviter Sanctissimum Sacramentum. Quo notato Simson interrogavit, quid hoc rei esset, cur hæc reter genua, & quid tam superstitiosè veneraretur. Reposuit Parochus, ibi asservari Eucharistiam, seu consecratas hostias, in quibus sub specie panis lateat Christus Salvator noster, DEUS - HOMO, pro moribundis, si fors contingeret aliquem ex Parochianis ad ultima deduci, vel in mortis periculum incidere. Ex quo Responso sumpsit Colonellus occasionem impugnandi hanc assertionem, & ventilata ab ipsis est

✽ (O) ✽

QUÆSTIO.

*An Eucharistia rectè asservetur,
& adoretur.*

Simson modeste quidem, sed tamen zelosè & in suo sensu abundans, id improbavit, imò haud

obscurè pro superstitione aut idololatria habuit, sic arguendo. 1. Quando Christus instituit Eucharistia

ristiæ Sacramentum, dixit: *accipite & comedite, hoc est Corpus meum. Matth. 16.* ergo instituit eum in finem, ut statim sequatur manducatio, & sine hac non voluit esse præfens, seu extra actualem manducationem, sive extra usum. Quod confirmavit à paritate cum Baptismo, qui consistit in usu, seu in ablatione, qua cessante vel non posita cessat Sacramentum Baptismi, vel non conficitur; ergo idem dicendum est de Sacramento Eucharistiæ, quòd extra actualem usum vel manducationem non detur.

2. Christus instituens Eucharistiam statim & sine dilatione dedit discipulis, dicens, *manducate, bibite*, non verò dixit: *asservate, adorate*, vel: *manducate post longum temporis interval- lum*; ergo asservatio, & adoratio est contra institutionem Christi.

3. Si asservetur & adoretur Eucharistia, adoratur quoque panis, vel species panis, sub quibus latere Christum dicitis: sed hoc est superstitiosum vel idololatricum, quia creaturæ, panis, vel hujus accidentibus, defertur cultus Latriæ, seu soli Deo competens.

His auditis subridens, & fædè plenus zelò parochus, mi Domine, inquit, ut video, magno in errore, & simul in mala de nobis persuasionem versatur. Tenemus utique, semperque tenebimus, antiquissimam jam à temporibus Apostolorum nobis traditam Ecclesiæ

Catholicæ doctrinam, videlicet Christum cum Divinitate & humanitate, corpore & sanguine, per verba Consecrationis, *hoc est corpus meum*, realiter poni sub speciebus seu accidentibus panis, destructa vel non amplius præfente substantiâ panis, quia alias verba Consecrationis, cum tamen sint ipsius Christi, æternæ Veritatis, vera non essent, sive dein hostia consecrata comedatur, vel non, sive statim manducetur, sive post aliquot dies aut etiam longius intervallum, adeoque Christi Corpus & Sanguinem cum unita Divinitate etiam extra actualem usum adesse: si autem adsit, & præfens sit Christus, ipsi sine dubio adorationem propriè dictam debent tanquam Deo - Homini & Supposito verè Divino, innegabile est. Quòd autem rectè ac pie in Pastophorijs, Sacrijs, Hierothecis, quas vocamus *Monstrantias*, & Ciborijs asservetur, probamus 1. ex perpetua Ecclesiæ praxi, cuius nescitur initium, consequenter, juxta regulam à S. Augustino traditam, retinenda est ad tempora Apostolorum & Christi. S. Clemens, corvus Apostolis, l. 8. *Constit. Apost.* jam meminuit de hac praxi, sic scribens: *postquam omnes communicaverint, inserant Diaconi Reliquias, quæ supersunt, in pastophorion.* Jam olim quoque fidelibus erat permissum, cum ob Gentilium persecutiones ad S. Communionem convenire non possent, par-

particulas Eucharistiæ (utique sub specie panis tantum, cum species vini tam diu non mansissent incorruptæ) ad proprios lares deportare; in navigatione longa secum ferre, & Eremiticis ad suas solitudines deferre &c. ut vel singulis diebus, uti tunc mos erat, vel tempore opportuno pro sua devotione seiplos hoc epulo Divino reficerent, uti testantur Tertull. l. 2. ad uxorem c. 15. ac lib. de Orat. S. Cyprian. de Lapsis in Orat. fun. de Excessu Sathyri. S. Basil. in ep. ad Cesariam Patriciam. S. Hieron. l. 3. Comment. fol. 298. n. 4. ergo jam primis sæculis asservari consuevit Eucharistiæ; atque primitiva Ecclesiæ etiam iuxta vos fuit pura ab omni errore. 2. ex honestate finis, propter quem asservari solet Eucharistiæ, nimirum ut semper in promptu sit hostia consecrata, & Sacramentum Eucharistiæ præberi possit moribundis, item ut Christus, cujus delicia sunt esse eum filijs hominum, in humanitate sua præsens devotè visitetur, honoretur, invocetur, & nobis solatio sit atque auxilio. 3. quia nec in Scripturis nec à Christo prohibita est hæc asservatio reverens ac decora.

Ad objecta promptè ac solidè sic respondit Parochus. Ad 1. negavit ultimum membrum Consequenti, licet enim Christus voluerit in prima institutione, ut Apostoli statim manducarent suum Corpus, minime tamen inde sequitur, quòd
(R. P. Pichler Decis, T. 2.)

noluerit esse præsens, nisi in actuali manducatione & usu, cum utique Christus, antequam discipuli manducarent & biberent, pronuntiavit verba, *hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, quæ necessariò fuerunt vera, quamprimum prolata: ergo ante actualem manducationem & bibitionem, seu extra actualem usum, præsens erat Corpus & Sanguis Christi, saltem per aliquod tempus; quid igitur prohibet, quò minus sit præsens post longius tempus, donec nempe manducetur, vel species panis aut vini fuerint corruptæ? *Insaniant*, ait Cyrill. Alex. ep. ad Calosyrium Episc. dicentes, *mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si qua Reliquia remanserint ejus (Eucharistiæ) in diem sequentem*. Audiatur etiam Euhym. in Panoplia tit. 21. qui ex S. Gregor. Nyssen. scribit: *sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per verbum Dei & orationem sanctificatur, NB. non quia comeditur, eò progrediens, ut Verbi (nempe Christi) corpus evadat, sed NB. statim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum est, quoniam hoc est Corpus meum*. Dein retorset argumentum: Christus, quando instituit Sacramentum Eucharistiæ, etiam fregit panem; dicit enim Evangelista, *accepit panem, benedixit, fregit, deditque, & ait, accipite & comedite*: licetne ex hoc inferre, ergo Christus non est præsens, nisi panis frangatur. Negatis utique hanc illationem (quam contra vos valde urgent

O o Cal-

Calvinistæ) quia Christus nullo modo per modum conditionis sine qua non requisivit & fecit ipse fractionem panis: sic & ego dico, sine actuali manducatione Christum esse præsentem, quia nullo modo adiecit vel expressit conditionem, si manducetis statim, sum vel ero præsens. Denique Sacramentum Eucharistiæ institutum est ad refectionem animæ per modum & symbolizationem cibi: sed cibus materialis est cibus, etiamsi non statim, vel per accidens etiam nunquam manducetur: ergo etiam iste cibus spiritualis est cibus, etiamsi non statim, vel per accidens etiam nunquam manducetur: essentialia adsunt, licet usus deficiat quoad partem hujus cibi, nam consecrans Sacerdos partem hujus cibi, nempe unam hostiam, statim manducat, partem autem reservat in aliud tempus pro alijs fidelibus. *Ad Confirmationem negavit Conf.* Inductio de Baptismo est argumentatio à particulari ad universale, seu à Sacramento uno ad omne, atque est similis huic: Baptismus pro materia habet aquam: ergo etiam Eucharistia pro materia habet aquam. Ad 2. Christus neque dixit, manducate statim totum, neque dixit conditionatè, si non manducetis, non est corpus meum, sed absolutè, hoc est corpus meum, abstrahendo, an panis consecratus statim totus absumatur, vel aliquæ particule aliquamdiu asserventur,)

Ad 3. sic informavit Colonellum: Christus totus, in Eucharistia præsens, adoratur latræ per modum unius Suppositi, quin & corpus ac sanguis Christi adoratur propriè ac absolutè, tanquam unita Verbo Divino in unum Suppositum, species autem panis & vini consecrati, si præcisive considerentur & quætales, adorantur tantum improprie & respectivè, non propter se, sed propter Christum aliquo modo ipsis unitum, adeoque hoc ipso non cultu latræ, sed alio minore, religioso tamen, fere licet colendæ sunt Reliquiæ tactu Christi factæ, vel imagines Christi, vel quo modo vestes Christi adhuc in terra degentis adorabantur, quando adorabatur Christus vestibus indutus. Cultus respectivus nunquam est cultus Latræ, quia debetur alicui propter alterum, adeoque nunquam tanquam Deo, rerum omnium principio, sed solum ut creaturæ debetur & defertur. Panis, quia juxta Catholicos non est amplius in hostia consecrata, utique non adoratur, species verò panis adorantur quidem, at non cultu Latræ, vel absolutè, sed cultu minore Religioso, & respectivè tantum. Quod autem totus Christus, etiam quoad corpus & sanguinem, adorandus sit, semper sentit & docuit Ecclesia, ut apparet ex testimonio Patrum, S. Chrysol. hom. 24. in 1. Cor.

Cor. S. Augustini, qui in Psalm. 98.
sic inquit: nemo autem illam carnem man-
dat, nisi prius adoraverit. Non solum

non peccamus adorando, sed peccamus
non adorando.



TITULUS XLV.

De Reliquijs, & Veneratione San-
ctorum.

DECISIO CXVIII.

De cultu, quem Catholici exhibent
benedictæ linguæ S. Joannis Nepomuceni, & par-
ticulis S. Crucis, sarcasticè traducto
à quodam Præco-
ne.

SPECIES FACTI.

Cum paucis abhinc annis so-
lenni ritu in Sanctorum
numerum relatus esset à
Summo Pontifice Roma-
no Joannes Nepomucenus, et
que per universam Germaniam,

inauditò hætenus exemplò, fe-
rè in omnibus Ecclesijs Cathedra-
libus, Collegiatis, & plurimis etiam
Parochialibus, publici honores vel
per octiduum vel per triduum ex-
hi-

O o 2